



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Doctrinae Saxoniarvm Ecclesiarvm, Scripta
Anno Domini M. D. LI. Vt Synodo Tridentinae Exhiberetvr**

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1554

VD16 C 4808

De Discrimine Peccatorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35345

Ecclesiæ delicta cumulantur pœnæ: ut in
pœna tribus Beniamin, Dauidis, & alijs
conspicitur. Vult autem Deus intelligi
hæc beneficia corpori necessaria, & sciri
vult ea diuinitus tribui. Vult in eis peten-
dis exerceri fidem, ut suo loco copiosius
dicimus. Nunc ideo hæc pauca addidi-
mus, ut in hac confessione etiam extet te-
stimonium in nostris Ecclesijs, doctri-
nam de bonis operibus ueram & necessa-
riam fideliter proponi.

DE DISCRIMINE PECCA-
TORVM.

Cum dictum sit, in renatis manere pec-
cata, necesse est tradi discriminem. Nam ex
dicto Lucæ 11. Vadit & assumit septem ali-
LUC. 11.
os spiritus nequiores se, & ingressi habi-
tant ibi, &c. & ex similibus dictis, mani-
festum est, aliquos renatos contrastare &
excutere Spiritū sanctum, et rursus abiici-
à Deo ac fieri reos iræ Dei, & æternarum
EZEC. 33.
pœnarum. Et Ezech. 33. scriptum est:
Cum recesserit iustus à iusticia sua, & fece-
rit iniquitatem, morietur in ea: & cum re-
cesserit impius ab impietate sua, & fecerit
iudicium & iusticiam, uiuet in ea.

Necesse

Necessè est igitur discerni peccata, quæ
in sanctis in hac mortali uita manent, nec
excutiunt spiritum sanctum, ab alijs pec-
catis, propter quæ homo rursus fit reus.
iræ Dei & æternarum poenarum. Et Pau-
lus discernit peccatum regnans, & non re-
gnans. Et alibi inquit: Si secundum car-
nem uiuetis, moriemini: si actiones carnis
spiritu mortificabitis, uiuetis. ^{Rom. 5}

Tradit autem regulam in epistola ad
Timotheum: Milita bonam militiam, reti-
nens fidem, & bonam conscientiā. Cum
igitur homo non retinet fidem, sed ali-
quam fundamenti partem, id est, aliquem
articulum fidei, siue sciens, siue errore
amittit, aut idola approbat: ut multi qui
falsis dogmatibus decipiuntur, aut non
sustentant se consolatione fidei, sed supe-
rantur dubitatione aut desperatione, aut
uiolant ullum præceptum Dei contra
conscientiam, effundunt Spiritum sanc-
tum, & rursus fiunt rei iræ Dei, & poenæ
æternæ: & nisi fiat conuersio, tales morien-
tes abiiciuntur in æternas poenas.

De his inquit Paulus: Si secundum car-
nem uiuetis, moriemini. Et 1. Corinth. 6. ^{Rom. 8} ^{1. Cor. 6}

Nec

Nec scortatores, nec adulteri, nec idola-
træ &c. possidebunt regnum Dei. Et iura
Eze. 18 mentum clare dicit: Viuo ego dicit Domi-
nus, nolo mortem peccatoris, sed ut con-
uertatur & uiuat. In iuramento partes
duæ copulatæ sunt, conuersio & uita. Po-
stulat Deus, & quidem iuramento, con-
uersionem. Quare non placent ei, retinen-
tes propositum peccandi.

Complectimur autem in hoc numero,
& peccata omissionis affectatæ, id est, af-
fectatam negligentiam in officio, quæ pu-
gnat cum dicto: Hoc requiritur, ut fideles
simus: & ignorantiam affectatam, qualis
est Pharisaica, & infinitæ multitudinis,
quæ ueram Ecclesiæ doctrinam non stu-
det inquirere, & ignara retinet idola, aut
etiam sœuiciami adiuuat in defensione
idolorum.

Dictum est de lapsibus, quibus exutis
tur spiritus sanctus. Alia, sunt peccata in
renatis, retinentibus fidem & bonam con-
scientiam, quæ non sunt corruptelæ fun-
damenti, nec sunt delicta contra conscienciam:
sed sunt reliquæ peccati originis, ca-
ligo, dubitationes, carnalis securitas, er-
rantes

rantes flammæ uitiosorum affectuum, & omissiones, uel ignorantiae nō affectatæ.

Hæc mala extenuant quidam, & nominant deformitates præter legem Dei. Sed hæc cœcitas ualde reprehendenda est, & utrumq; considerandum: magnitudo malorum in hac tota immundicie, quæ est contra ria legi & uoluntati Dei: & rursus magnitudo misericordiæ & beneficij filij Dei, tegentis hæc tristia & magna uulnera in hac misera natura.

Iubet autem Paulus his malis repugna res spiritu, id est, Atticus, Scipio, frenant uitiosos affectus ratione: sed Ioseph, Paulus, frenant spiritu, id est, Spiritus sancti motibus, uero dolore, uera fide, timore Dei & inuocatione.

Dolet Paulus, sentiens dubitatiōes, aut alios errantes motus: & fide statuit, hanec immundiciem tegi à mediatore: & timore Dei se reprimit, ne obtemperet iræ, aut alijs errantibus motibus. Et simul inuocat Deum, & petit auxilium, Cor mun- Psal. 50 dum crea in me Deus.

Cum hoc modo repugnamus prauitati, quæ adhuc reliqua est in renatis, teguntur

E tur

tur hæc mala, & dicitur peccatum non regnans, seu ueniale: & non effunditur Spiritus sanctus. Hanc doctrinam de discrimine peccatorum ueram, perspicua, & Ecclesiæ necessariam esse, manifestum est. De qua tamen quales labyrinthi disputationum sint in libris Aduersariorū, multi norunt.

Postquam uero breuiter exposuimus summam doctrinę de iustificatione, nunc & argumenta, quæ contra hanc sententiā obiciuntur, explicanda & refutanda erant. Sed quia alij alia obiciunt, confessionem nostrā recitauimus, & offerimus nos ad longiores explicationes in singulis membris confessionis.

DE ECCLESIA.

Vult Deus intelligi, genus humanum non casu nasci, sed à Deo conditum esse, & conditum non ad æternum exitum, sed ut colligat sibi in genere humano Ecclesiam, cui in omni æternitate communicet sese, suam sapientiam, bonitatem, & lætitiam. Et uult conspici filium propter quem, & per quem inenarrabili sapientia